



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 61. Legatorum literæ ad Papam circa suspensionem Concilii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

„majori, quam alios frequentia interesse,
 „non tamen id dissonum videri debet,
 „cum Synodo centum quinquaginta ex
 „Italis adessent, reliqui vero ex aliis
 „Provinciis tantum septuaginta: præ-
 „terquam si Comes rem absque præoc-
 „cupati animi impetu, discutere vellet,
 „facile cognoscere posset, quod sua opi-
 „nionem plures aliarum Nationum Epif-
 „copi convenerint, ac præsertim duo
 „Cardinales Lotharingius, & Madrutius,
 „necnon Ecclesiastici Cæsaris, ac Regis
 „Poloniæ Oratores interfuerint, imo i-
 „psemet Comes, si esset Ecclesiasticus,
 „in eos cœtus convenire potuisset, quod
 „nos summopere exoptassemus, ut ipse
 „cognoscere valeret, qua ratione res i-
 „bidem discutiantur, & cur Episcopi
 „convocentur. „ Denique absolutum
 „est hoc colloquium, cum ambo acquie-
 „scentes, ac polliceretur Lunensis Comes,
 „daturum se operam celeritati, suæque
 „Nationis Præsules hortaturum, ut cun-
 „cta prudenter, ac moderate decidenda
 „approbarent.

§. LXI.

*Legatorum literæ ad Papam circa
 suspensionem Concilii.*

Postea Legati, ubi summum Pontifi- *Pallav. c. 3.*
 cem de hujus colloquii successu cer- *n. 7. & 8.*
 tiorem reddiderunt, simul responde-
Hist. Eccles. Tom. XLVI. E e runt

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

runt ad articulum de Concilii suspensione, ab eodem propositum, mox autem rejectum: itaque hanc in rem Pontifici exponebant, quod mere ex humanis rationibus Principes hanc Concilii suspensionem exoptarent, qui tamen potius privata sua comoda communi totius Christianæ Republicæ utilitati postponere deberent. Ceterum re ipsa consilium de interrumpenda Synodo brevi evanuit, imo quod antea ardentem petebatur, mox penitus oblivione sepultum jacuit. Attamen Comes Lunensis a suis querelis non destitit præcipue questus, quod Legati in suis ædibus privatos congerent conventus, quocirca minabatur, si id agere persisterent, se quoque in ædibus suis convocaturum cunctos Præsules Regi subjectos, tum Hispanos, tum Italos, adjecta ipsis prohibitione, ne Præsidium coetus adirent, sed una omnes ad novum hunc conventum accederent. Verumtamen Legati hæc minas, cum illarum imbecillitatem sibi sat comperitam haberent, flocci pendebant, ac semper pro more suo conveniebant, adhibita tamen ea circumspeditione, ut Comitum indignationem magis accendere veriti privatos hosce coetus haud amplius in suis ædibus, sed in Præsulum Palatiis agerent. Postea die decima tertia Augusti Præsides habito generali Con-

Conventu rursus agebant de causa Sæcul. XVI.
A. C. 1563.
Grimani Veneti Patriarchæ, cujus supra meminimus. Intererant omnes Judices excepto Premisliensi Episcopo tum ægotante.

§. LXII.

Patrum sententiæ pro absolvendo Grimano Patriarcha.

Hæc Congregatio ad septimam usque horam protrahatur, ubi omnes unanimi consensu declarabant, quod epistola a Grimano ad Utinensem suum Vicarium generalem pluribus abhinc annis scripta, cui tota innitebatur accusatio, circa quasdam propositiones a quodam Prædicatore de Prædestinatione enuntiatis nihil censura dignum, nullamque propositionem contineret, quæ non æque in Sanctis Augustino, Prospero, Bernardo, Thoma Aquinate, atque in pluribus aliis Doctoribus reperiretur. Idem quoque sensere cuncti Theologi, quibus ea res fuerat communicata, & tantum Guererus Granatensis Archiepiscopus, atque Ayala Segobienensis Antistes quadam utebantur restrictione, affirmantes, quod quidem in eandem etiam opinionem convenirent, cum tamen res nondum maturius discussæ, nec sententiæ ea de causa a Theologis Romanis prolatae fuerint, hinc

Pallav. l. 6.